

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Prorector Academiæ Fridericianæ Fridericus Hoffmannvs,
Consiliarius & Archiater Regius, Medicinæ & Natur.
Philos. P.P. Una cum Reliquis ...**

Hoffmann, Friedrich

[Halle, Saale], [1706?]

VD18 13540254

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-195942](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-195942)



5124

41, 6, 5



post Budd meditationes, et styl. in sinar.
 1. Wald de arcuensis Ruth. d. Pauli jagge
 2. Breit. vater prop. Ruth. nomine Stuhl. titon. 1.5. styk. Sperlette Ludwig.
 Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 3. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 4. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 5. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 6. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 7. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 8. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 9. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.
 10. Hoffm. J. H. Hoffm. Böhm. B. Michaelis. Albert.

14
PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
FRIDERICUS
HOFFMANNVS,

Consiliarius & Archiater Regius,
Medicina & Natur. Philos.

P. P.

UNA CUM RELIQUIS PROFESSORBUS,
ad mysterium

NATIVITATIS DOMINICÆ,

omni veneratione recolendum

CIVES ACADEMICOS, OMNES ATQUE SINGULOS

publico nomine adhortatur.

interprete
D. Paulo Antonio.

14

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
FRIDERICUS
HOFFMANNVS

Consiliarius & Archidiaconus Regius,
Magister & Nuntius Ecclesiae

PR. CUM RELIGIOSIS PROFESSORIBUS

NATIVITATIS DOMINICAE

CIVES ACADEMICOS OMNES ATQUE SINGULOS
pudice nomine salutem



Non poterat homo lapsus in gratiam & salutem restitui, nisi ipse Deus requireret hominem, & ipse rursus se demitteret ad hominem pro summa sua misericordia. Requirit ergo, nec sibi reliquit seductas oves, Pastor ille optimus maximus, sed sub ipso iudicio, quod debebatur lapsis, redemptionem & medicinam constituit poenitentibus, quam & cum bonitate & cum iustitia & cum veritate sanctissime conuenire, probe sentiebant. Ita respirabant sensim Proptolasti nostri a metu *seruili*; quia miserationis diuinæ facies ex ipsa lata sententia præfulgebat: saluo semper pudore, qui jam *filialis* evaserat, conjunctus cum admiratione caritatis diuinæ tenerrimæ, usque ad profundissimam hujus adorationem, suique reciprocæ demissionem, oblationem, & insceptionem onerum vitæ hujus humillimam. Vitam reddebat gratia, sed magnitudine sui reddebat eosdem & relinquebat quasi attonitos. Vulnerantur nempe corda credentium amoris sublimitate, quo excelsior is est, qui in ipsum lacum miseriæ nostræ seipsum demittere voluit, ac veluti deportare. Ipsum remedium tantum admonebat semper de grauitate lapsus: & per omnes annos suos recordari ex accessu Dei renouato poterant, quam longe recessissent prius.

Hanc salutis portam atque januam, auctis subinde reuelationibus efficacissimis, patientiorem redditam reperimus per totum sacram literarum *os qua*. Hanc scalam omnis benedictionis vidit Iacob in curis suis, quæ constituta erat in terra, cuius summitas,

X 2

pertin-

Ebr. II, 14. 15.

Gen. XXVIII, 11-17. pertingebat ad cœlum, ascendentibus & descendantibus angelis, & IEHOVA stante supra eam, ac loquente sursum de benedictione omnium familiarum terræ in Semine promisso. Ioh. I, 14. Vnde solatium Iacob cepit abundantissimum, Sed cum stimulis reverentiæ maximis. *Quam reverendus, inquit, est hic locus! Non nisi Dei domus est locus hic, & porta celi.*

2. Sam. VII, 16. Eodem sensu imbutus David subsistit coram IEHOVAH, & prostravit se totum, solus coram solo, & cantavit deinceps hymnos & psalmos vberime de verbo salutis huius; ut ne tentare quidem audeamus enarrationem lætitiæ & reverentiæ Davidicæ; tam ingens illa est.

Luc. I, 29, 38. Quod si vero adfectos ita videmus Patriarchas illo tempore: quid in sanctorum cordibus credendum effloruisse, ubi venit plenitudo temporis! Vel ad prima verba salutationis Angelicæ turbabatur Maria benedicta illa in Mulieribus: etiam cum collegisset deinde animum mater Domini, adhuc cum exultatione certavit venerabundi pectoris humilitas submississima, tanquam ancilla domini, inter ipsas congratulationes Elisabethæ. Exclamat enim Elisabetha voce magna, dicens: benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me? Esurientes, respondet Maria, implevit bonis, & divites dimisit inanes.*

His exemplis constat, quid sibi velit Paulus Apostolus, quando mysterium τὸς ἐν σαρὶ καὶ σαρκί vocat, quod Deus manifestatus est in carne. 1. TIM. III, 16. Sensus nostros transcendit totius Christianæ religionis sacramentum, quia totum est mysterium divinum: fidem tamen sibi parit in cordibus per verbum, quia est vis & veritas diuina, notum faciens nobis mysterium voluntatis diuinæ, secundum ipsius εὐδοκίαν seu beneplacitum, & intimam benevolentiam, euangelium seu bonum nuntium salutis nostræ, ad salutis nostræ rationes plane pleneque dispositum, atque ita nobis aptum redditum benigna dispensatione gratiæ, ut verbum, quod per se est viuum, nobis quoque fiat viuificum, fide & receptione dignum, deriuans in cor caritatem illam Dei, ex qua Verbum caro factum est. Inde habent Christiani thesaurum sacramentorum novi testamenti: inde ingressus & accessus ad omnia bona cælestia. **VITA MANIFESTATA EST, & vidimus**

& testamur, & adnuntiamus vobis **VITAM ÆTERNAM, QUÆ**
ERAT APUD PATREM, ET APPARUIT nobis. Quod vi-
 dimus & audiimus, annunciamus vobis, ut & vos Κοινωνίαν commu-
 onem habeatis nobiscum, & communio nostra sit cum Patre & cum Filio
 eius Iesu Christo. Et hæc scribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium
 vestrum sit plenum. 1. Ioh. I. 2.3.4. In hoc apparuit caritas Dei in
 nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut
 vivamus per eum. In hoc est caritas: **NON** quasi **NOS** dilexerimus
 Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum pro-
 pitiacionem pro peccatis nostris. 1. Ioh. IV. 9. 10. Per viscera mise-
 ricordie Dei nostri, in quibus nos visitavit Oriens **EX ALTO** Luc. I.
 78. 69. 35. Ideo ingrediens mundum dicit Sacerdos noster summus:
 hostiam & oblationem noluit, Pater, **CORPUS** autem aptasti mi-
 hi, ut faciam, Deus **VOLUNTATEM** tuam: in qua **VOLUNTATE**
 submissa sumus consecrati per oblationem immaculati **CORPORIS**
 Iesu Christi semel. Ebr. X. 4. --10. II, 14. 15. reconciliati **IN**
CORPORE CARNIS SILE, per mortem, ad exhibendos nos sanctos,
 & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso Col. I. 22. Rom. 8, 3. 4.
 Ita nata iam est plena εὐδοκία seu beneplacitum in hominibus. Luc. II.
 14. II. εὐλογία, & laus Dei. Luc. I, 64. 68. II, 28. 33. Marc. XI, 9. 10.
 Apoc. V, 5. 13. Rom. IX, 5. ex illo nempe fonte omnis εὐλογίας seu
 benedictionis divinæ Gal. III, 14. 16. IV, 4. 5. quia in ipso reconditi sunt
 omnes thesauri, & in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis
 σωματικῆς, ut de hujus plenitudine haurienda sint divina bona
 omnia Ioh. I, 14. 16. Col. II, 3. 9. 10. II.

Vocatur ergo mysterium τῆς εὐσεβείας, non ideo tantum,
 quod hoc pro fine habeat εὐσεβείαν, sed ideo etiam maxime, quod
 non habeat aliam in se adfectionem ac indolem, quam τῆς εὐσε-
 βείας seu promptissimæ ac intimæ **VENERATIONIS** erga Deum,
 qui, cum esset in forma Dei, in carne nostra, pro nobis sub car-
 ne laborantibus, manifestari voluit. Quod μυστήριον hoc huma-
 nitatis Christi, sit ipsa illa corona & coronamentum τῆς εὐσεβείας;
 quod sit plenum illud promptuarium, receptaculum & arca omnis
 vñctionis spiritualis, & ex omnibus venis & visceribus suis nil nisi
 sanctitatem spiret; mysterium deuotionis, profundissima humi-
 litate agnoscantis tantam demissionem & εὐλαβείαν (Ebr. V. 7-9.)
 Filii Dei sanctissimi: basis illa totius cultus religiosi & omnis inuo-
 cationis cum fiducia: mysterium, quod consistit totum in con-

junctione sui veneranda & admiranda nobiscum, & communione reciproca. Totus meus, Immanuel: & ego vicissim totus ipse; ut in catechismo nostro profiteamur. Ipse ὁ ἀγιαζόμενος, consecrans: nos οἱ ἀγιαζόμενοι, consecrati, ex uno omnes Ebr. II, 11. 14. Missus ipse quidem in similitudine CARNIS PECCATI: revera autem fuit absque macula peccati. Rom. 8.3. Ebr. IV. 15. VII, 26. I. 9. ut scilicet esse posset noster ἀγιαζόμενος, sanctificans nos inter medios insultus CARNIS PECCATI.

c. 25. Mirifice confirmant tantam causam, quæ ex antiquitate ecclesiastica reperimus collecta in Martini Chemnitii L. de duabus naturis in Christo. Inde nobis repetere liceat illud Athanasii: assumpta CARO, ab eo, & in eo inungitur & sanctificatur, ut sanctificatio, quæ in Dominum, ut in HOMINEM, infertur, in homines deinde ab eo dimanaret. Dum enim CARO in illo primum sanctificatur, & ipse dicit, se, ut HOMINEM, propter CARNEM gratiam Spiritus suscepisse: factum est, ut nos eam ex plenitudine illa dimanantem accipiamus. Sicut enim præviantem Adamo, in omnes homines peccatum diminavit: ita Domino iam HOMINE facto, ac serpentem concalcantes, in omnes homines vigor ejusmodi transmeavit. Et Cyrilli illud, quod Domini CORPUS etiam ipsum, coniuncti verbi virtute, salutis atque sanctificationis causa sit participantibus, & ad benedictionem nostram, καὶ ἡμῶν fiat adeo ἐνεργητικόν, ut possit sanctificationem suam nobis immittere. Vide τὸ ἀγίον. Sanctuarium. Luc. I, 35. Dan. IX, 24.

c. 24. Adam, ipse ibidem scribit Chemnitius, per lapsum amiserat Spiritum sanctum, & CARO propter depravationem non erat capax Spiritus S. sed in persona Christi humana natura rursus uncta est Spiritu, non ad mensuram, sed ut omnes divinas suas virtutes in illa operetur, atque per illam Spiritus ipse cum donis suis effundatur super omnem CARNEM. Conferri possunt, quæ toties dicit de Christo coniungente se nobis communicatione & participatione illius naturæ, quæ frater noster est, & nos caro de carne ejus.

Non est ergo iners & otiosum mysterium; neque nos vel tantillum de hoc prolatum volumus inani speculandi animo: Sed totum est, inque ipsa sui constitutione & nativa ratione, μυστήριον τῆς ἰουδαίας. Hoc ostendit docentibus, adeoque etiam discipulis, quomodo oporteat versari in domo Dei, quæ est ecclesia Dei vivi. Inde est columna & firmamentum veritatis. Inde habendum mysterium fidei in conscientia pura I Tim. III, 15. 16.9. Hoc vult fieri obse-

F. C. p. 769.
645 856.
857.

obsecrationes pro omnibus hominibus; pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam Vitam agamus in omni εὐσεβείᾳ & decentia. Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri & ad agnationem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & HOMINVM HOMO Christus Iesus 1. Tim. II, 1-5. Hoc nihil habet commercii cum larvis hypocriticis, sed vult εὐσεβείαν realem, œconomix diuinæ in hac ipsa vita conformem & submissam. 1. Tim. IV. 1-7. 8. 9. V, 4. 6. 13. 15. VI, 1-3. 5. 6. 11. 2. Tim. 3, 5. Hoc inclinatur omnium ordinum homines, imo cogit vi sua gratiosa, ad demittendum se mutuo ac fideliter ad homines, ut Deus ipse se demisit ad homines, Tit. II, 9-11. sq. III, 1-4. 7. 8. I, 1-3. 4. 15. 16. Marc. X. 42-45. 14. 15. 16. 2. Petr. I, 3-7. Hoc post se trahit certissime voluntariam abnegationem huius seculi, ut fides victoria fiat de mundo. 1. Ioh. V, 4. 5. 19-21. Tit. II, 12, 11.

O NOSTRI! Vobis etiam aperitur iam nouus campus recolendi sacra vestra. Vobis etiam panditur de nouo accessus ad præsepe & fascias Saluatoris vestri. Vobis etiam uti adhuc fruique licet tanto beneficio. Tenetis, qua reuerentia fideles exceperint & fouerint intra se verbum salutis ac gratiæ: explore, quæsumus, res vestras, & ante omnia in se quisque inquirat serio ac diligenter. Non negamus, surgere passim ex fecibus huius seculi multa offendicula; prosterni a multis fundamenta pietatis, quantum in ipsis est; proscindi conuiciis; ne dicamus nunc de iis, qui nescimus quæ πορμαλύνει Deificationum, Christificationum, & similia, maligne collecta malignius expandunt, sua scilicet μυσῆρια τῆς ἀσεβείας, tenebris suis relinquenda. Iterum dicimus iterumque, inquirere potius vnum quemque debere in semet ipsum, vnde sit defectus venerationis, quam secum fert Christiana religio. Nempe defectus reuerentiæ oritur ex defectu & abiectioe debitæ curæ animæ: hæc cura ubi abest, imo per vim conscientix factam, animo eiicitur & repellitur, inde propullulant mala omnia in infinitum.

Nouit dominus suos, nosque etiam in vestro jocoetū obseramus animos abhorrentes ab eiusmodi neglectu & contemptu rerum diuinarum: causam tamen nobis esse conquerendi de aliis quibusdam, vel vnico exemplo pro officio, quod incumbit, ponemus ob oculos.

Ob

Observauimus ab aliquo inde tempore, quando conueni-
tur in templo, quod appellari solet scholasticum, Schul-Kirche/
ad audiendum verbum Dei: confluere alios a tergo altaris sum-
mo ædis loco, qui in nostro omniumque conspectu turmatim
obambulant, eumque sursum deorsum cursitando & confabu-
lando strepitum faciunt, vt sonus inde per medium vsque tem-
pli peruadat. Quis hæc & similia olim inter nos præsumsisset
aut expectasset a nostris ciuibus? tam manifesta est hæc omnis
certe decori violatio, manifestumque signum ac indicium irre-
uerentiæ, imo & neglectus sui ipsius. Quid dicamus vobis? an
laudemus vos? in hoc sane non laudauerimus, quia non in melius, sed
in deterius conuenitis. Hoc non est Dominicam rem agere, sed plane
aliam. Hæc non est frequentare ecclesiam, sed contemnere & turba-
re ecclesiam Dei. Instituere, obsecramus, comparisonem vestri
ad locum, quem respicimus, 1. Cor. XI, 17-22. X. 21. Annon iam
sat damni est, quod vos ipsos priuatis verbo, quo reuocari pote-
ratis a cursu & præcipitiis huius sæculi? Alios etiam ab auditu
præcluditis. Obstupescunt ipsi peregrini ad hanc profanatio-
nem & colluuiem. Parcite vobis, siqui inconsideranter, quod
tamen ipsum turpe est, id admiserunt: parcite etiam in poste-
rum proximo vestro. Debebat potius ordo vester nosterque
aliis exemplo esse. Nemo obfirmet animum, vel gloriam stoli-
dam quærat in publica proteruia & iuuenili incogitantia. In
nullo priuato collegio eiusmodi quid tolerandum foret: nedum
vt heic locum habeat ambulacrum, aut diuerforium, vel thea-
trum. Iure omni a vobis requirimus silentium, & arcemus con-
uenticula, ac dehortamur ab omni alio peccandi genere. Deum
ipsum hæc tangere, res ipsa docet, quam verbis perspicuis a
Chrysostomo reperimus propositam. *ὁ Θεὸς κατὰ ἀνθρώπων,*
inquit, *κατὰ τὴν γλῶσσαν Θεός.* Proteruus in homines, proter-
uus etiam sit in Deum

Hom. 7. in 2.
ad Tim.

16.
10. Tim. III. 15.

Nos omnes pariter tangit, scire & curare recte velle, in
suo quemque ordine, quomodo oporteat in domo Dei conuersari,
qua est ecclesia Dei viui; columna & firmamentum veritatis, & ma-
nifeste magnum est pietatis sacramentum. **DEVS MANIFESTA-
TVS EST IN CARNE!**

P. P. in Academia Fridericiana. A. D. M. DCC. VI. ipsis
feriis natalium Domini.

Litteris Joh. Gruneri, Acad. Typogr.

W 18

